Quaestio Medica

Quodlibetariis disputationibus excutienda in Scholis Medicorum die Jovis 19 Decemb.

Clariss. viro D. Henrico Blacuodaeo, D. M. moderatore sapientiss.

Est-ne unus corporis partium mutuusque consensus?

Homo sapiens animal, et pars vivax in rebus inferioribus divinitatis exemplar, tum finis ad quem a natura effectus est, tum principii efficientis ratione, nobilissimum dux, formae vero quae nequaquam est accidens, nec ῥυθμὸς nec concinnitatum formarum subiecti ἁρμονία sed participatio primi actus impressa rebus, a qua in satis sima dictis regionis caelestis essentiae gradus praefinitur: materiam (superiorum eandem quae inferiorum πανσπερμίαν in se continentem alias incorruptibilem) praemissa ὁμοιομερῶν proba temperatione ἀνομοιομερῶν congrua conformatione, et spiritu utriusque famulante vitali calore perfuso (quae tria προκαταβλητικὰ requiruntur) informantis; a caeteris omnibus specie ab eiusdem speciei individuis numero distinctum: quae suae essentiae partes agnoscit; corpus ex quatuor communibus mundi elementis, praecedente qualitatum duntaxat perpessione mutua compositum. Animam caelestem substantiam, instanti conformationis partium absolutae divinitus creatam, simul et infusam; quae tamen ab actionibus naturae (a vitalibus non distinctis) ad perfectiora animae munia pergens principium agendi, et corpus patiendi creditur

Cum enim universi singulae partes illud a natura habeant, ut quae agunt perpetiantur eadem, quae perpetiuntur iisdem agant: sic μικρόκοσμου illius partes non ex menstruo (est enim toto genere praeter naturam) sed maternis sanguinis benigniori parte, ut materia (haudquaquam principio) compositae, a semine (non ut parte constitutiva sed instrumento) per vim illi a generante impressam, quae tamen non est pars animae illius: sed actus virtutis formatricis, tum generationis quae additione, diminutione, transmutatione, et alteratione, perficitur: tum conformationis, efficientis causae: varie subacta, accedente caelestium influxu ut formae nobiliori extrinsecus incorporati (nulla tamen adveniente intellectuali cognitione) domicilium construere mutua agendi et patiendi, dandi et accipiendi vicissitudine iuvantur, quae quanto sunt caeterorum temperatiores partibus, tanto in illis mutuus ille consensus et συμπάθεια, quae est continuatio et convenientia naturae conspectior nascitur) cuius communione non solum sibi invicem gaudent, sed et corpus animae, anima corporis iniuriis ultro citroque afficitur et commodis. Hinc morbus corporis animam vehementer obscurant, intelligentiam ad affectionem per consensum ducit.

Ut anima corpori vicissimque corpus animae compatitur, sic partium partes summo consensu devinctae mutuas excipiunt operas: cor etenim omnium quae sunt in corpore tum natura, tum generatione πρωτόγονον vitae arx commodissima, spirituumque omnium (quorum una substantia est) officina, ut facultatum omnium scaturigo, tanta necessitate pulmoni, cerebro, hepati, caeterisque partibus connectitur, ut unumquodque eorum altero munere consistat; nam sicut servitute praeparatoria hepatis rudimenta αἱματώσεως a corde mutuato calore conficientis, ut pulmonis aerem extrinsecus per respirationem (quae inspiratione et expiratione perficitur) attractum, ad illius flabellationem elaborantis, ut denique cerebri fervidum illius calorem in humidum primogenium, illa absque intercapedine grassantem frigiditate, et humiditate contemperantis devincitur; sic servitute delatoria cerebro substantiam spirituum animalium per καρωτίδας demandat, sic pulmoni per venam arteriosam (cuius ut caeterarum est principium) in dextro ventriculo magis elaboratam nutritionis suae materiam defert, sic hepati spirituum nativo calore perfusum transmittit, denique ut a toto corpore sic in toto corpus per venas sanguinem, per arterias διαστολῇ tum συστολῇ a cordis motibus distinctis manandam spiritus vitalis substantiam defert.

Quae partium partibus, eadem facultatis facultatibus, haudquaquam a temperamento, nec a natura sed ab anima cui parituras insidet, et quas tanquam principia quaedam ad agendum adhibet, ortum ducentibus, et pro iis ab illa ratione tantum distinctis, intercedit naturae communio; attractricem expultrix, concoctricem retentrix, auctricem altrix, generatricem formatrix mediante temperamento et spiritu (tanquam primo animae instrumento) plurimum adiuvat, quae enim pondere gravantia, quantitate noxia, qualitate infesta, retentrici negotium facessunt, siquidem illa molesta expultricis beneficio detrudit, detruso attractrix sui tantum rationem habens commodi, ad se per rectas fibras celerrime rapit, quae retentrix tandiu retinet donec a concoctrice variis mutationum successionibus (quas sibi tempus determinatum postulant) facessat in substantiam corporis alimentum: sic auctrici (quae etiam incremento facto in corpore remanet) altrix materiam suppeditat; sic formatrici generatrix (quod est viventium nobilissimum opus) prolificum partes effingentem ac disponentem singulas spirituum impertitur.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Eius naturae cognationis et convenientiae, ut in rebus naturae sic in rebus praeter naturam evidens est inspectio, ventri caput, caput ventri, cor hepati, hepar lieni sic quae partes caeterae ubi hinc aut illinc morbus processerit, sibi invicem statim inducunt ex quo συμπάθεια καὶ ἀντιπάθεια, πρωτοπάθεια καὶ δευτεροπάθεια, ἰδιοπάθεια καὶ ἑτεροπάθεια) procedunt quorum effectus quisque secundarios in usum abiit, per hoc qui committunt curare; hinc fit ut nullo perniciosis humoribus viscere obstructo, spiritibus (qui una cum facultate influunt) patente aditu, inferiores partes mota defunguntur et sanae, hinc cum nullus aut exiguus admodum sanguis ad alitionem partium per venas fertur, corpus ἀτροφίᾳ aut vitiosa ὑδρωπῇ defaedatur et tabescit ut cum cordis et arteriarum motu praepedito dissipabilis fixi spiritus substantia partes singulas permeare nequit statim συγκοπῇ cum facultatum omnium lapsu accidit, tanta est partium partibus necessitas, quae dum probe suas actiones obeunt, in salutem corporis conspirant, cum male omnes una toti compatiuntur et condolent.

Ergo est unus Partium Corporis mutuusq; Consensus.

Asserebat Joannes Lamperiere Ebroicus Vernonensis 1596.

Dni Doctores Disputaturi

M. Joannes Duret med. et prof. Reg.
M. Georgius Cornuty.
M. Joannes le Moyne.
M. Stephanus Dufour.
M. Claudius Boyuin.
M. Philippus Garduin de St. Jacques.
M. Franciscus Duport.
M. Guillelmus Lusson.
M. Egidius Heron.